OBSERVATIO

REFERENS MORBUM SYPHILITICUM A NUTRICE PROPAGATUM, QUI DURANTE ANNO CIƆIƆCCCIIII. GRONINGAE FUIT GRASSATUS.

AUCTORE

JACOBO MUNNIKS.

OBSERVATIO

REFERENS MORBUM SYPHILITICUM A SUCTRICE PROPAGATUM,

QUI DURANTE ANNO CIƆIƆCCCIIII.

GRONINGAE FUIT GRASSATUS.

AUCTORE


JACOBO MUNNIKS,

M.·. et Ch.·. D.·.

PLURIMIS EXTERIS ET PATRIIS SOCIËTATIBUS ADSCRIPTO.

GRONINGAE,
Apud J. OOMKENS,
Academiae Typographum.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE


Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.


Verwijderd
K. B.

L∴ S∴

Cum his diëbus, Roterodami, morbus Syphiliticus, ab ubera puerperarum exsugente propagatus, se dispergat, et longe lateque calamitosos suos relinquat effectus. Cum, anno CIƆIƆCCCIIII., *in nostra urbe Groningana, idem morbus, eadem causa ortus, simili ratione inter multas matronas, cum altioris, tum minoris ordinis, suas luserit tragoedias, et, nisi omnia me fallant, hodierno tempore, passim adhuc miseras habeat victimas. Cum anno* CIƆIƆCCCV. *pluribus, iisque diversis, observationibus, quas tunc, pro gradu Doctoris, publicae disceptationi obtuli, descriptionem hujus atrocissimi morbi junxerim, quae autem (uti solent Specimina inauguralia) non,*

nisi inter praeceptores, amicos, et cognatos distributa, ideo minus inter artis peritos fuerit nota. Non alienum, sed meum jam putavi, tempore, quo, aliis in locis, talis infaustus, et perniciosus morbus sese ostendat, et, ob calamitosas sequelas, timorem injiciat, alteram, *eamque separatam, ejus descriptionis editionem publici facere juris.*


Eo libentius id mecum constitui, quo magis cognoverim morbum adeo caecum, et ambiguum non saepe numero fuisse descriptum, et attamen, ob peculiarem suum ortum, ob decursum, diagnosin, et curationem, curiosa contemplatione esse perdignum, ejusque sedulam, accuratamque expositionem iis posse prodesse, quibus, aliquando, demandatum erit horribilis istius vitii curam gerere.

Me, illius historiae altera editione cum quodam successu divulgata, impensi laboris, nullo modo, poenitebit.

AUCTOR.

OBSERVATIO

Referens morbum syphiliticum a suctrice propagatum, qui durante Anno CIↃIↃCCCIIII. *Groningae fuit grassatus.*



§ I.

Veluti anno CIↃIↃCCCII. descripsi historiam morbi atrocissimi (1), quo septem infantes largo fructuum Atropae Belladonae usu maximum capitis periculum adierunt, et nihilominus ex deploranda hac conditione, in quam erant conjecti, fuerunt restituti; sic nunc silentio praeterire non possum calamitatem, qua cum plurimae, eaeque variae conditionis feminae, tum multi tenelli infantes anno CIↃIↃCCCIIII. fuerunt percussi, quam eo penitius indagandam censeo, quo magis video plurima, minus obvia,

(1) Vid. Diss. mea *de Atropa Belladona* Cap. IV.

et non modo morbum ipsum, verum etiam ejus inficiendi rationem spectantia, in hac se obtulisse nostra observatione, et cura perdigna.

Praeterea hoc lubentius instituere decrevi, cum confirmatum habeam summi SYDENHAMI, Angliae illius HIPPOCRATIS dictum (2). »Et magni »momenti, et difficile sit omnium morborum »facies dignoscendi," cumque porro ea difficultas increscat ratione, qua morbi magis, frequentiusque falsa specie sese offerre solent, quos inter syphilis non tantum primo habeatur loco, cum ita saepe afficiat genus humanum, ut summo jure idem hunc morbum dixerit: »tam gravem, et acerbum, qui tam late serpit, »et perniciem suam undique spargit, ac tantis »cruciatibus miseros saepe opprimit, ut pristina »sanitas difficulter restituatur (3)". Quibus perspectis, neminem fore confido, qui miretur, me jam illud agere, ut labem, quae tam multis sermonibus hac in civitate celebrata fuit, quaeque tantas lusit tragoedias, pro viribus indagem, ejusque historiam in lucem edam, quae fere omnia me accuratis observationibus Medicorum clarissimorum BUSCH, OUDEMAN, PA-

---

(2) Oper. Med. Tom. I. p. 218.

(3) l. l.

PING, patrisque mei una cum concessa ipsos aegrotos videndi occasione debere, ea, qua decet, animi grati significatione ingenue profiteor (4). Quae autem apud alios auctores de hac re annotata inveniantur, addam, ut iis quoque morbi historia illustretur.

§ II.

Ineunte aestate anni CIƆIƆCCCIIII. plurimae non unius conditionis feminae, eaeque lactantes, et a partu recentes, inflammatione, et ulceratione papillarum valde dolorifica laborabant. Haec vitia iis, quae alias a medicis saepe summo cum successu adhibentur, et a mulierculis commendantur, ita resistebant (5), ut excoriationes, fissurae, ulcerationesque, aut nihil, aut parum, aut ad tempus emendarentur (6), cum

(4) Quorum primus, ut et pater carissimus ante plures annos diem obierunt supremum.

(5) Semel, aut bis tantum fuit observatum, quod ulcuscula papillarum, medico inscio, linimento ex oleo, et lythargirio fuerint sanata.

(6) Quod praecipue boracis efficacia locum habuit, forte ob alcali, quod continet; Clarissimus enim AUGUSTIN alcalia commendat in morbis venereïs efficacissima.

etiam sub ipsa remediorum applicatione latius se extenderet ulceratio, quae nihil praeter ichorem stillans speciem dabat sordidam, foedamque.

Haec cum tantum a solita experientia aberrarent, pravae corporum conditioni, atque idiosyncrasiae tribuebantur, atque ad ea corrigenda, ubi plethora aderat, venaesectiones instituebantur: porro remedia laxantia, revellentia, alterantia, refrigerantia, salibus mediis mixta, caeteraque, quibus humores sua acrimonia priventur, variis modis, et per sat longum temporis spatium, administrabantur. Haec omnia cum nullam sanationem, et vero nullum afferrent solatium, cataplasmata etiam, et fomenta, licet aliquando aliquid praestare viderentur, nihil efficiebant, nisi quod dolorem aliquamdiu mitigarent, ulcera vero nulla ratione sanabantur; neque unguenta digestiva basiliconis, similiaque plumaceolis ulceribus applicata, ad ea depuranda aliquid praestabant: verum, quoties iis mercurius praecipitatus albus vel ruber admiscebatur, majus levamen, quam unquam antea, omnibus aliis remediis incassum adhibitis, afferebant.

Sic per plures septimanas hoc vitium late per totam urbem sparsum tantas vires sumsit,

ut quotidie aliae, hac labe inquinatae, aliis adderentur, quarum cum diversa conditio, tum varium vitae genus, ulcerationumque facies, aliave huc usque se manifestantia symptomata, nullo fere modo indicabant hic aliquid syphiliticae naturae subesse; imo neque ipsa mercurii praecipitati efficacia, qui prae omnibus medicaminibus excellebat, medicos vix ulla ratione in suspicionem trahere poterat, tetrum virus venereum communem horum malorum esse causam, et sic diu puerperae, lactantesque mulierculae, cum infantibus tenellis fuerunt vexatae, cruciataeque, usque dum mense Julii in femina lactante varia ulcera, manifeste venerea, in superficie mammarum, ad aliquam distantiam a papillis, minus, quam in aliis, excoriatis, a medico observabantur.

Haec vero femina non altioris, attamen honestae, conditionis, ab eo tantum tempore, quo alterius infanti mammas praebuerat, hoc vitio fuit affecta. Hisce a medico perpensis infans examinatus est, quando non modo exanthemata circa os, et mentum epidermidis indurationem, ac fissuras manifestantia, deprehendebantur, verum ad inferiores natium regiones, variae pustulae, variolas referentes, se offerebant, quales die insequenti, praecipue in

extremitatibus inferioribus, ut et aliis corporis partibus matris hujus tenelli etiam erant conspicuae.

His itaque palam fiebat, foeminam memoratam lactantem ab infante, infantemque a matre fuisse affectum. Cum autem de morum integritate matris suspicio nulla esset, prima mali origo adhuc latebat, neque natura morbi tam foedi, tamque late grassantis, quo plurimae omnium fere conditionum feminae tam misere vexabantur, apparuit.

Nam licet uni alterive medico causa morbi fuerit cognita et perspecta, tamen de origine mali a causa communi repetenda nemo cogitavit; quod mirum non sit, cum non raro accidat, ut talis observetur labes, quae tunc, nisi expedit efferri, ab honesto medico silentio premitur. Atque ita singuli suas curabant aegrotas, ignorantes, alias, eodem morbo infectas, aliis se obtulisse medicis.

Ecce vero, aliquo tempore interjecto, maritus feminae, ulceribus papillarum laborantis, in suspicionem incidit mulierem, quae quotidie, et ubique hac in urbe mammas lactantium sugit, vitio quodam contagioso forsan esse affectam, cum observasset, labia istius ulcusculis esse obsessa.

Medici hujus urbis doctrina et experientia praeclari, re cognita, suctricem hanc explorabant eo quidem effectu, ut mox labia, et angulos oris ulceribus venereis infecta invenirent. Jam vero ab eo inde tempore non modo ratio, ac causa omnium, frequentissimarumque illarum affectionum, quibus papillae diuturna et non sanabili inflammatione, suppuratione, ac dolorifica adeo ulceratione fuerant corruptae, se prodibant, verum simul paulo post, quod rem magis declarabat, in variis corporis partibus pustulae, et exanthemata quasi variolosa, certa luis indicia, apparuerunt. Quae omnia frequentius observabantur, cum feminae affectae, quae, huc usque nondum medico adhibito, amicorum, muliercularumque consiliis fuerant usae, jam certiores factae, hanc suctricem syphilide esse affectam, medicos in auxilium vocarent, imo, uti fit in talibus rebus, adeo essent perterritae, ut, licet leviori papillarum vitio, aut erisipelate laborarent, ad medicum confugerent.

Hinc ergo frequens nascebatur occasio observandi haec exanthemata, ab impetigine venerea plane diversa, et quae, licet quidem aliquando in syphiliticis sese offerant, tamen a nemine, quantum novi, accuratius fuerunt de-

scripta (7). Quam ob rem, non incongruum duxi, pro viribus notas illorum characteristicas, ab expertissimis medicis observatas, in medium proferre.

Hae pustulae plerumque primum in brachiis, et quidem frequentius, copiaque majori, in parte cubiti interna se manifestabant, deinde eadem ratione pedes, tandem truncum occupabant.

Pleraeque vero feminae in extremitatibus tantum afficiebantur, quod si contigerit, vix ullae in trunco apparebant; in aliis vero in dorso et citius, et frequentius, quam in pectoris, aut abdominis regionibus obviae erant, cum in facie raro, et semper ultimo loco, apparuerint (8); interim non raro in capillata capitis parte ob-

---

(7) Licet Clarissimus ASTRUC, et GIRTANNER mentionem fecerint de pustulis, quales in morbi grassantis initio, et diu post observavimus.

(8) Haec a consueta norma multum aberrant, uti planum est, si legimus KURT SPRENGEL's Handb. der pathol. Tom. 3. p. 547. ubi dicit: »Wenn daß zahn-
»fleisch roth wird/ und schwämmchenartigen ge-
»schwürre auf der zunge entstehen/ dann folgt sehr
»leicht der außbruch mannigfaltiger exantheme/ ge-
»wohnlich zuerst im antlitz/ und dann am übrigen
»körper."

servabantur; nec in palmis manuum ut plurimum defuerunt; ibi tamen pustulae ob crassitiem epidermidis, neque adeo elevatae, neque tam late, quam alibi, extensae conspiciebantur.

Initio parva macula rubra in cute, pustulae futurae ortum indicabat, ita ut duorum triumve dierum spatio ipsa papula rubra, dura, et rotunde elevata esset producta, quae quotidie ita mole increscebat, ut, cum ad certam altitudinem pervenisset, latitudine magis, quam altitudine augeretur, et ratione formae magis cum variola vaccina, quam alia, hominibus propria, conveniret, licet nulla fovea, sive impressio umbilicalis, ut in vaccinis, hic conspiceretur, sed superficie rotunda superne complanata esset instructa, a qua subito parva squama, vel pellicula alba separabatur, et tum papula apparebat, respectu habito ad peripheriam, rotunda, cum superficie non globosa, verum circiter plana, ac nitore insigniter splendente, dum reliqua declivis, aut lateralis papulae superficies, nullam admittens desquamationem ab omni splendore, aut nitoris specie conspiciebatur destituta.

Nascente papula, ac dein per aliquod tempus papulae area rutilante inflammata erant

circumdatae, quae postea sensim evanuit: caeterum illarum dimensio in ratione, qua sine remediorum usu morbus obtinuerat, observabatur, licet hoc incrementum in his citius, in illis tardius se manifestaret.

In ea vero femina, de qua jam fuit memoratum, quae ulceribus mammarum laborabat venereis, hae pustulae non tantum citissime suos ostenderunt progressus, verum in superficie trunci mole caeteris majores, et citius quoque integrum absolverunt decursum suum.

Latitudo illarum plerumque ab octava ad quartam pollicis partem erat, raro ad tres octavas partes; altitudo altitudini variolae vaccinae materia repletae ut plurimum consimilis raro octavae pollicis parti erat aequalis.

Color papulae generatim ruber, maxime erat similis alicui coloris speciei, quae ex *Gummi lacca* parari solet, quaeque pictoribus dicitur *Lakrood;* ita tamen, ut recens natae levius, provectiores paulo magis ruberent. Caeterum haec non ita dicta volo, ac si non et alio colore offenderentur; sic verbi gratia, illae, quae prope papillas erant ortae, et baseos papillae partem elevatiorem occupabant, magis albidae, lacteum colorem referebant; dum caeterae, in mammis dispositae, licet plerumque paucae,

et colore et soliditate, duritieque illis in aliis corporis partibus obviis similes observabantur; nullae tandem aliquid liquidi continebant, si excipiamus aliquas majores, tribus octavis pollicis partibus aequales, quae tantum modo, quantum novi, observatae fuerunt in femina jam saepius dicta: etenim hae ichorosam ulcerationem crusta fusca stipatae, et tectae manifestabant, cum nullae pruritu, aut dolore infestarentur, nisi vi externa laederentur, omnesque usu mercurii disparerent, quo tempore pleraeque desquamationem remediorum applicatione acceleratam paterentur, quaeque, quantum scio, semel peracta nunquam, uti plerumque contingit, rediit: in vola manus autem plerumque citius disparebant papulae, quam ipsa desquamatio se manifestaverat, ibique loco pustulae elevatae conspiciebatur foveola collapsa, crassa epidermide producta, quam insequebatur desquamatio crassior, quam alibi, quod naturae epidermidis tribuendum videtur.

Postquam papulae plane resolutae et quasi intra cutim, unde emersae fuerant, retrotractae erant, supermanserunt durante aliquo tempore maculae primum rubrae, pedetentim in flavedinem abeuntes, usque dum pallidae dispare-

bant; eo autem discrimine, ut maculae in volis manuum post desquamationem longe minus, quam in aliis corporis partibus apparerent.

Quemadmodum ratione externi habitus haec maxime erant diversa, sic maximum quoque obtinebat discrimen in infectionis, eruptionisque stadio, quod, si non in omnibus, saltem in multis observabatur. Sic in femina, quae linimento ex oleo et lythargyrio usa fuerat, citius erupuit exanthema, cum in plerisque mense Julii prodirent pustulae tempore, quo nondum aliis syphylidis symptomatibus vexabantur, verum quae paulo post, cum in his, tum in aliis magis, magisque se manifestarunt, ita ut semper fere exanthema praegrederentur, paucis vero exceptis, quae serius hoc vitio afficiebantur, et in quibus talis efflorescentia non fuit observata.

Praeterea singulae fere fuerunt, quae de dolore vel tumescentia glandularum subaxillarium, aliarumque conquererentur, quod tamen plerumque observatur (9). Quae vero illo symptomate

---

(9) Vid. ASTRUC *de morbis venereis* Lib. VIII secul XVII. p. 980 ubi ait: »Luem glandulosis partibus maxime esse infestam.” et HAHNEMANN § 416 ubi legitur: »Wo die seuche müttern durch milchaus-

laborarunt, quod sibi imputare possent, cum non nisi sero medici auxilium imploraverint, affirmarunt tamen, se durante morbi decursu non nisi leves percepisse dolores. Et cum aliae citius, aliae tardius, aliae acutioribus, aliae tandem nullis afficerentur doloribus osteocopiis; sic femina, de qua jam antea, quae mammarum ulceribus laboraverat, hisce doloribus ante pustularum eruptionem jam vexata fuerat, imo adeo gravibus, ut lectum petere nollet; cum vero, exhortante marito, decumberet, summis perpessis doloribus corporeque sudoribus profluente, eruptio pustularum se manifestavit, atque mox, quod notandum, pro illarum incremento, et numero diminuti fuerunt dolores memorati nocturni (10), cum in aliis e contrario non nisi post plenariam eruptionem pustularum, licet mitiores, observarentur.

„saugerinnen/ und ammen durch fremde saüglinge „mitgetheilt ward/ geschae es durch schanker an den „lippen/ die ähnliche geschwüre an den brustwar„zen/ dan bubonen unter der achsel." u. s. w.

(10) Quod jam observavit KURT SPRENGEL in Handb. der pathol. Tom. III. p. 547: „Die knochenscmer„zen sind aber weniger heftig/ wenn die aanstec„kung lange vorausgegangen ist und mehrere zufälle „schon staats gesunden haben/ dan ercheinen zuerst „im antlitz heftige fressende blüthen." undz.

Non omnibus, plerisque autem, quae angina laborabant, post pustularum eruptionem, citius, tardiusque afficiebantur, et, quod animadvertendum, haec angina non modo se manifestabat, licet pustulae jam usu mercurii resolutae decrescerent, in aliis vero post pustularum resolutionem superfuit, imo increvit; in quibusdam hoc symptoma facile remediis cedebat, in aliis comitabantur ulcerationes tonsillarum pertinaces, cum eae, quae dicta angina laborabant, aut nullis novis postulis afficerentur, aut iis, quae aderant, liberarentur.

Atque sic, ut opinor, egregie confirmatur Illustris HUNTERI sententia (11), qua putat, quod, quoties morbus venereus ita tractetur, ut licet priora, quae se manifestarunt symptomata, disparuerint, tamen nondum sequatur, integrum esse destructum habitum in hunc morbum organorum profundius dispositorum, et quod, licet syphilis hoc suo contagio nunquam de novo aggrediatur partes prius affectas, saepe eas tamen afficiat, quae profundius ad interiora sunt locatae, quod etiam comprobatum habuimus

---

(11) Vid. in Nota ad CULLEN Anfangsgründe des praktischen Arzneykunst IV Theil. p. 349.

ante hos quatuor annos, quo tempore secuimus cadaver viri adulti, in quo eo tempore genitalia, facies, nasus omni labe venerea erant immunes, totumque corpus, praeter capitis summitatem nulla ulcerationis praegressae, vel praesentis praebebat indicia; nullae enim cicatrices in cute erant obviae, verum ossa femorum, crurum, humerorum, ac cubitorum, ipsaque frontis, et bina ossa parietalia adeo erant degenerata, ut solo aspectu, imo depurata, uti in museo meo conservantur, terrorem incuterent. Illa enim non tantummodo petrae instar sunt dura, ac ponderosa, verum simul adeo corrosa, ut permultis amplis, digitum admittentibus, foraminibus sint pertusa, atque ea, quae cubitum constituunt, omni firmitate destituta, quo praeter memoratam ab HUNTERO opinionem, dilucide simul evincitur, qua ratione in hoc morbo abnormi vitae principii actione secretiones in quibusdam partibus augeantur, aliae vero absorbtione sic dicta solidorum destituantur; nulla enim aderant indicia, has partes osseas, aut exfoliatione, aut exulceratione fuisse destructas vel ablatas.

Sed ut in viam redeam, in toto caeterum morbi decursu vix maculae se manifestarunt venereae, licet, quod etiam a solita aberrat

norma (12), tamen semel observabatur, mox post resolutionem papularum usu mercurii, antequam aegra angina afficiebatur, tunc enim calido aestivo die totum fere corpus maculis rutilantibus fuit obsessum, quae vero post trium dierum spatium iterum disparuere.

Sic quoque rari erant fici, rhagadesque, quae pari passu cum angina decursum absolvebant, et plerumque non, nisi post papularum resolutionem, observabantur; neque copiosiores erant oculorum inflammationes venereae; in iis autem, qui ophthalmia venerea laborabant, licet oculi vividius lumine, quam par erat, afficerentur, nullis tamen doloribus nocturnis, quod phaenomenon ab aliis ut frequens, et fere constans (13), ab aliis silentio pressum fuit, vexabantur.

---

(12) Vid. GIRTANNER Abhand. über die venerische krankheit parte I. p. 261 ubi legitur: „Die vene- „rischen flecken auf der haut unterscheiden sich von „anderen ähnlichen vorzüglich da durch: dass sie „sich neu auf der brust und zwischen den schultern „finden; da hingegen andere flecken über den gan- „zen körper vorkommen."

(13) Vid. KURT SPRENGEL, Tom. III. p. 546 sq. ubi legimus: „die augenentzündung erregt besonders „heftige schmerzen, und bald in verdickung, und „völlige verdunkelung der hornhaut übergeht."

Rarissimae etiam erant genitalium affectiones, ut gonorrhea, cancri venerei, aliaeque; neque mariti, licet cum uxoribus coirent, hac labe inficiebantur; ea tamen femina, quae maculis venereis fuerat obsessa, circa genitalia cancris fuit vexata, atque maritum ita infecit, ut brevi cancris venereis, et nullis praegressis bubonibus, iisdem, atque uxor, in corporis superficie laboraverit pustulis venereis: quod idem fere in paucis aliis simili ratione observabatur.

Rarissima quoque fuit alopecia, sive in parte corporis capillata, sive circa pubem superciliaque, frequentiores autem unguium exulcerationes syphiliticae, et destructiones, quarum autem una hodie adhuc observatur, in qua praegressa pollicis circa unguem dolorifica affectione, unguis perditus jam naturae conaminibus renovatur, cum nihil aegrotae supermanserit incommodi, nisi insensilitas extremi articuli pollicis.

§ III.

Cum vero auctores non conveniant, utrum solo concubitu, an etiam alia ratione contrahi et propagari possit morbus hic funestissimus, opere pretium duxi, data jam occasione, paucis in hanc rem inquirere.

Femina provectioris aetatis a filia sua inficiebatur, ita ut, nullo in toto corpore vitio, nullis bubonibus praegressis (14). tamen angina, pustulisque venereis afficeretnr, cum filia, quae, absente marito, qui nauta in mari degebat, erat syphilitica, in uno eodemque lecto decumberet, licet, quod observandum, inter matrem, et aviam nepotulus, quartum agens annum, continuo jaceret, qui, licet secundum opinionem summi SYDENHAMI (15) hac aetate magis esset obnoxius illi contagio, tamen omnis labis mansit immunis. Quo itaque magis verosimile etiam

---

(14) Partes, per quas virus admittitur, perpetuo primum affici affirmat ASTRUC Tom. I. Lib. 2, Cap. 3. p. 130 sq. ROSENSTEIN Tom. II. p. 239. GIRTANNER Part I. p. 77. KURT SPRENGEL Tom. III. p. 543, qui hoc necessarium ponit, dum alio modo vicinas partes consensu laborare non posse contendit; hoc vero non semper fieri ponit SWIETENIUS Tom. V. p. 384 sqq. SCHWEIDIAUER Tom. II. p. 55. HAHNEMANN Unterricht etc. p. 160.

(15) Vid. Epist. resp. ad PAMAN in Vol. I. p. 205 ubi ait: »Adulti quorum caro jam firmior aetate ob»duruit, vix nisi intercedente impuro coitu, quamvis »simul dormiant, possint infici, infantum tamen laxior »caro et texturae rarioris venenum facile excipit, quod »non semel observavi infantibus a genitoribus, quibus »cum dormiebant, infectis contigisse."

videbatur, istam feminam, non dicto cum filia decubitu, verum ipso contagio attactu fuisse infectam.

Nec eventus suspicionem fefellit, cum mammas filiae, tempore, quo papillarum ulceribus laborabat, tumoribus lacteis obsessas, quotidie manu perfricare soleret, ignorans has ulcerationes aliquid maligni, sive contagiosi in se continere, et sic sine ullo metu quotidie pus, ichoremque in papillis obvium manu quasi abstergens; qua ratione, ut mihi saltem videtur, haec femina manu morbum contraxit, seque ipsa diro hoc veneno infecit (16), quo simul apparet, quo jure viri clarissimi tum affirmarunt, tum negarunt, solo decubitu in eodem lecto cum syphilitico luem contrahi posse veneream (17).

Praeterea animadvertendum est, quod aliae

---

(16) Quam infectionem contrectatione partium quoque verosimilem ponit ASTRUC Tom. I. Lib. 2. Cap. 1. p. 124. GIRTANNER Tom. I. p. 65, et frictio certe hic multum ad absorbtionem contulit, cum crassa palmae manus epidermis topicae affectioni obfuerit.

(17) Vid. ASTRUC Tom. I. Lib. 2. p. 124, 130 quo loco certe affirmat, nec negat. SUITENIUS Tom. V. p. 381. ROSENSTEIN Tom. II. p. 232 qui affirmantem sequuntur sententiam, negativam GIRTANNER Tom. I.

puerperae, quae eodem tempore eidem suctrici mammas praebuerant, omni contagio liberae manerent, quod beneficium ablutioni oris, per spiritum vini ante institutam suctionem, tribuendum esse existimo, neque et aliae, quas mane statim, postquam domi os depurgaverat, adibat suctrix essent infectae; quibus simul patet, re vera ipsa applicatione, et quasi insitione materiae ulcerosae, contagium fuisse communicatum, quod non factum est, neque fieri potuit, quoties ulcera bene erant abstersa, et abluta, quodque certe minus locum habere potuit solo concubitu in eodem lecto, nullo locum habente tactu.

Plures etiam infantes teterrimo hoc contagio fuerunt infecti, nec mirum, cum matres naturam morbi, quo erant corruptae, plane ignorantes, tam diu suis tenellis mammas praebuerint, quam diu ob summos dolores, quos perferre debebant suctionis tempore, praebere possent; et, si in nonnullis, saltem in paucissimis fuerit suspicio lacte contagium contraxisse tenellos (18). Omnes enim fere, in ore tantum-

---

p. 70. Hahnemann p. 160. Schwediauer qui dicit hoc raro fieri Tom. II. p. 56.

(18) Si jam animum applicemus ad infectionem,

modo, erant, aut antea fuerant affecti, aliqui exanthemate afficiebantur, cum oris ulceribus laborarent, aut antea jam laborassent, quod exanthema ab omni parte simile erat papulis matrum jam delineatis; nisi quod in his, ratione sedis, aliqua adesset differentia, quod pustulae, quae matris totum corpus, et extremitates occuparunt, in infantibus non nisi circa genitalia, anum, et ad inferiora natium, femorumque ibi adjacentium, observarentur.

Si jam in rationem hujus discriminis inquiramus, mihi, nullo modo sive aetati, sive inficiendi rationi tribuendum videtur, verum ab expertissimis in arte quaerendum, an non ratio hujus phaenomeni in eo sit ponenda, quod hae partes, in teneris talibus infantibus, faecibus, et urina, quibus saepe madidae ac conspurca-

---

lacte productam, auctores valde dissentientes de hac re inveniemus; sic talem infectionem admittunt JAHN, über die Kinderkrankh. p. 142; ASTRUC Tom. I. Lib. 2. Cap. 1. p. 123. STARK Handb. Tom. II. p. 666. vehementer vero dubitat de hac re SCHWEDIAUER Tom. II. p. 63; cum hoc non, nisi sub certis conditionibus, admittit GIRTANNER Tom. I. p. 71. Negans tandem hanc infectionem BOSQUILLON in nota ad CULLEN Anfangsgründe Tom. IV. p. 344 et HUNTER. Vid. in not. ad CULLENI l. l.

tae sunt, plus irritentur, ac stimulentur, quam alia cutis regio? quod eo probabilius videtur, quo magis perpendamus, plerumque in ratione stimuli, humorum determinationem ad has vel illas partes locum habere, et observari.

Neque sola haec in morbo nostro se obtulit anomalia, cum porro fit, quod notemus, omnem miasmatis translationem ad cutim a plaga infecta obtinuisse, cum tamen glandulae conglobatae, sive lymphaticae, vix ac ne vix quidem tumore vel dolore fuerint affectae. Nulla enim miasmati, a loco affecto ad superficiem cutis, patet via, nisi materia ad systema lymphaticum pervenerit, quod saepissime confirmant bubones, si e gonorrhea ad alias partes defertur virus venereum. Tandem si consideramus, id caeterum sibi peculiare habere luem, quod, sive supprimatur, sive alia causa e loco affecto ad aliam corporis partem transponatur, semper fere nasi interiora, labium superius, palatum, cum molle, tum stabile, fauces, ipsamque calvariam afficiat, quas partes noster morbus plerumque intactas reliquit, cum raro contingeret, ut faucium ulcera observarentur, rarae quoque infantibus essent exulcerationes venereae circa unguium radices. Haec vero anomalia tantum aestivo tempori, et calori tribui, aut in pecu-

liari omnium aegrotantium idiosyncrasia consistere posse, mihi non videtur.

Tandem quem suctrix, omnium illorum malorum causa, mali exitum habuerit, est, quod, addam; contigit nempe illi, quod antea contigisse a SWIETENIO (19) relatum legimus.

Facillima enim ejus erat cura, cum praeter labiorum exulcerationes, nulla se manifestarint symptomata, quae subito pilulis mercurialibus, et linimento ex hydrargyro cessarunt; neque doloribus nocturnis, neque angina, fauciumque degeneratione, neque exanthemate aut pustulis venereis, in toto morbi decursu, fuerit vexata, neque in hunc usque diem recrudescentis mali praebuerit indicium.

§ IV.

Jam vero non alienum sit, antequam morbi curationem pertractem, dictis quaedam addere, quae in variis medicorum scriptis de eadem inficiendi luemque suctricibus propagandi methodo annotata invenimus (20), quibus simul

---

(19) In Comment. J. BOERHAAVE Tom. V. p. 380 sq.

(20) Vid. GIRTANNER I. p. 64 sq. MULLER I. p. 105 ubi inter alia c) „findet dieze art von anstec-

apparebit, horum morborum decursum multis modis a nostro fuisse diversum, atque varias in his obtinuisse anomalias.

Clarissimus ASTRUC (21), qui adducit tractatum EVERHARDI (22), quo similem inficiendi rationem, Medioburgi anno CIƆIƆCLIIII retulit, et clarissimus VAN SWIETEN (23) similem observationem protulit e Medical Essays and observat (24): quae re vera multis, non vero omnibus partibus, convenit cum nostra; neque dissimilia a doctissimo BILGUER memorata reperiuntur (25). Hoc vero nostro in casu occurrit, memoratu dignum, quod aegrotantium vix ulla fuerit, quae non laboraverit exanthemate, phaenomenon ab aliis minus observatum; frequentiores enim me-

---

„kung zuweilen auch bey erwachſenen perſonen ſtatt. „Wen ſich nemlich frauenzimmer/ die brüſte von „da zu gedungenen weiber auſſaugen laßen. Wir „ſinden bey verſcheidenen ſchriftſtellern ſchrekliche „beyſpiele dieſer art." HAHNEMANN p. 160. § 416.

(21) Tom. II. Lib. VIII. p. 947 annum MDCLXI et p. 987.

(22) Antiqui morbi recrudescentes per suctricem inducti MDCLXI.

(23) Tom. V. p. 380, 381, ad § 1441.

(24) Tom. III. N°. XXI. p. 323 sqq.

(25) *Von Hypochondrie* p. 71, 75.

moratis auctoribus recensentur faucium ulcerationes, rarissime autem cutaneae affectiones.

Unde ista differentia? nonne aliquo jure hic primum ratio caloris aestivi habeatur, quo humores corporis humani quasi ad cutis superficiem alliciuntur? Etenim cum aerae nostrae seculo XV, quo vestimentis, plerumque ex lana confectis, utebantur homines, et multum simul in balnea calida se conferebant, longe frequentiores erant morbi venerei cutanei, quam postea, quando usus nostri invaluerunt, vestimentaque tenuiora e lino fuere adhibita (26), cum-

---

(26) Vid. MULLER von den venerischen krankh. I Band: p. 20/ ubi legimus: „Durch die herrschen„den sitten/ gewohnheiten/ und lebensart der vier„zehnten/ und funfzehnten jahrhunderts war der „menschliche körper damals zu hautkrankheiten „allerart weit geneichter als heut zu tage/ die aerzte „jener zeiten beschreiben eine menge verschiedener „krankheiten der haut/ die wir jetzt nicht einmal „dem namen nach kennen. — Die wollenen zeuge/ „die in ganzen weit häufiger/ als leinene getragen „wurden/ trugen ungemein viel bey/ die infection „der hautausschläge zu unterhalten. Hier zu kan „der misbrauch der warmen bäder die bis ins funf„zehnte Jarhundert ein so algemeines national be„dürfniss in Frankreich/ und Deutschland waren/ „dass das verbot sich nicht des bades bedienen zu „dürfen einen theil des bannes ausmachte/ der über

que, quod plus probat, in calidioribus regionibus, ut in Italia, in Cannada, caeterisque plerumque hic morbus syphiliticus sese manifestet eruptionibus cutaneis (27), in qua re sola causa non videtur quaerenda, namque nonne praeterea nostro in casu quoque valere potuerint remedia aperientia, diaphoretica, ut bardanae decocta, sambuci, aliorumque praeparata, quibus diu usae fuerant aegrotae?

Hoc vero, licet a priori veritati convenire videatur, tamen non habet, quo plane comprobetur, cum in nonnullis tantummodo invaluerit, et in aliis, his remediis non assumtis, idem fuerit morbi decursus.

Neque alteram, quae in nostro morbo se offert, anomaliam hic silentio praeteream, in eo positam, quod neque maculis, scabieve venerea, caeterum frequenter observatis, verum tan-

---

„den unglücklichen Hendrich IV ausgesprochen „wurde daher ist es klar dass die lustzeuche der herschenden charakter annahm / und ihre vorzüglich„sten wirkungen auf der haut zeigte.

(27) Kurt sprengel Tom. III. p. 550. § 899. „In heissen ländern / aber auch in Italien und an „der Paulsbay in kannada / äussert sich die krankheit mehr durch grindige ausschläge / und hautgeschwüre.

tummodo memoratis pustulis cutaneis afficerentur aegrotae, de quibus vero auctores aut plane nihil monuerunt, cum ea, quae memorarunt, nullam fere habeant convenientiam cum iis, quae nos observavimus (28), unde hoc discrimen ortum duxerit, vix quidem conjectura determinabitur, et id majori quidem virus copiae, aut acrimoniae tribui posse, hoc probabile non videtur; si enim acrius fuisset virus, glandulas conglobatas permeare non potuisset, quin summa duritie, summaque inflammatione fuissent affectae (29), quod quidem in aliis conditionibus satis probatum habemus: neque meliori jure auctae virus copiae tribuatur exanthematum adeo diversa forma (30), quibus si non debetur, an dispositioni ad phlogosin tribuetur? Sed ita longe frequentiores fuissent bubones, glandularumque inflammationes, nisi

---

(28) Videatur eximium, indefesso labore, ac studio confectum opus viri doctissimi R. WILLAN, *de morbis cutaneis.*

(29) Conf. quae ex HUNTERI opere adducuntur in notis ad CULLEN IV. p. 348 sq.

(30) Comprobant hoc variolae, de quibus vid. CAMPERI Dissert. *de emolumento et optima methodo insitionis variolarum* p. 83.

alia, et insolita obtinuisset via, qua virus sanguinis massam fuerit ingressa: hoc autem nihil habet, quo stabiliatur, cum non modo repugnet principiis physiologicis, verum etiam cum in iis, in quibus manifesto constitit, virus systhema lymphaticum fuisse ingressum, nihilominus, morbus eadem methodo in cutis superficie, non vero in faucibus, palato, naso, glandulis inguinalibus, aliisque partibus producendo memoratas pustulas, suas ludat tragoedias.

Ad quae singula, si haec anomalia referri non meretur, num potius peculiari virus modificationi tribui posset (31)? quae conjectura non parum probabilitatis speciem prae se fert, si sententia clarissimi BUCHAVII procedat; scilicet quodlibet exanthema peculiari sibique propria produci acrimonia (32).

---

(31) Vid. quid de complicatione dixit Clarissimus HÜFELAND über die Blattern/ p. 23 in nota: „Ein „ganz ähnlicher merkwürdiges beyspiel bemerkte „Herr BUCHHOLTZ, Wo von 17 mit einerley riter „inokolirten kindern kaum die hälfte die blattern „bekamen/ weil zu derselben zeit die influenza sehr „stark wütete. — HUNTER bemerkte auch dass ein „andrer krankheitsstoff/ z. b. von masern/ die wir„kung des gifts verspate/ oder auch verhindre."

(32) In Act. Reg. Soc. Med. Havniensis vol. II. p. 315; quae si consideramus, simul attendentes, vi-

Denique nonne peculiaris Atmosphaerae conditio praeter alia quoque has pustulas producere potuit? id saltem mihi per patris, aliorumque medicorum experientiam, cum etiam saepius testis oculatus affuerim, constat, per integrum fere hunc annum morbos cutaneos, inprimis pustulis stipatos, et non facile curandos, frequentes admodum fuisse (33), quod si

---

rus in papillis insertum, liquore blando serosoque in loco insertionis congesto, antequam systema lymphaticum, humoresque circulantes ingrediatur, aliquatenus potuisse domari, suaque acrimonia privari, quam conjecturam non parum corroborari videbimus iis, quae de variolis ingeniose praedicavit eruditissimus inter Groninganos Medicinae Doctor J. VAN GEUNS in Dissert. Pathol. *de morbo varioloso* p. 57 sq. ubi legimus: » Contagium enim sic non modo parti corporis exter- » nae, et minus nobili primo suo impetu adhaeret, in » quo noxa etiam localis minus momentum habeat; » sed etiam hoc modo materia contagii liquore molli, » blando et seroso involuta, et diluta est:" et paulo inferius. » Atque hac quoque ratione mitior variolarum » inoculatarum prae naturalibus indoles egregie de- » clarari videtur;" de qua re amplius legi meretur HÜFELAND Bemerkungen über die natürlichen und geimpften Blättern Edit. II. anhang. p. 245.

(33) Ita saltem de variolis auctores consentiunt: BURCHERIUS dixit Instit. med. pract. Vol. II. § CLXI. p. 154: » venenum certa quadam egere temporum,

insignibus, frequentissimis, ac repentinis aëris mutationibus, tunc certe obviis, adscribí aut possit, aut debeat, quare haec ratio in nostro casu quoque non valuerit, si autem valuerit, facile, aut in memoratis causis, aut in illarum singulis causam talis anomaliae peterem, idque eo magis, cum certe hujus phaenomeni causa generalis fuerit; nihil enim fit sine ratione sufficiente. Adde, quod, quantum ego vidi, quantumque mecum videre potuerunt viri, observandi facultate, et omnis doctrinae apparatu maxime insructi, nulla alia hic occurrat, aut saltem huc usque detecta fuerit singularis hujus phaenomeni ratio.

» aërisque constitutione, ut se exserat, aut ut eam » nocendi potestatem acquirat, qua uno potius tem- » pore, quam alio emicet, et propagetur." Cujus opinionis inter alios fuerunt SWIETENIUS l. l. T. V. p. 4. VOGEL Handbuch Tom. III. p. 8 et J. VAN GEUNS l. l. p. 35. » Anni vel athmosphaerae epidemica constitu- » tio non est nullius inter variolarum causas mo- » menti."

Quibus adjungantur, quae dixit HUFELAND l. l. p. 220. „Und hier findet unstreitig die angezeigte ur- „sache statt / dasf nehmlich der körper zur erwick- „lung der wahzen pocken kzankheit durchaus jetzt „nicht geschickt ist in wahren pocken epidemien sieht „man dergleichen unächte pocken auch oft."

V.

Superest, ut videamus ea, quae ad curam hujus morbi pertineant, quae, ut plerumque in syphiliticis instituatur, mercurio, decoctis lignorum, acido nitri, opiatis felici satis successu fuit absoluta; licet in nonnullis morbus ad modum fuerit pertinax.

Sic, prouti in variis variae essent indicationes, varia praeparata mercurialia fuerunt adhibita, et, quod observandum, summo beneficio iis, quae hydrargyrum bene ferebant, mercurius variegata forma datus est, quo ipsa cura valde adjuvabatur. Decocta vero lignorum tum maxime usu veniebant, cum, mercurio aliquo tempore adhibito, cachexiae indicia se proderent, et, quoties mercurialia, decocta lignorum, extracta aperientia, similiaque, jam per aliquod tempus sumta, morbum minus depellebant, acidum nitri cum successu exhiberetur, ita ut, ejus usu, in femina plures, eaeque non exiguae, pustulae, quae per duos menses mercurio adhibito perstiterunt, resolverentur, et sic aegrae sanitas restitueretur (34). In uni-

---

(34) Efficaciam acidi nitri multum quoque laudavit doctissimus Amicus LUST in Dissert. *de Acidi*

versum cura erat facilis, et satis promta; aliquando longius durabat, quod, ne alia memorem, plerumque fiebat in iis, quae, nondum cognita morbi natura, dudum antea remedia aperientia, laxantia, salia media, similiaque, assumserant, quibus adeo sensiles essent factae, ut minimam mercurii dosin, licet per epicrasin exhibitam, sine salivatione non ferrent. Et re vera nulla remedia hominem, dato mercurio citius in Ptyalismum pronum reddunt, quam salia media, et praesertim nitrum: quo saepe accidit, ut pauca mercurii grana, minutis dosibus sumta, homini conciliarent salivationem, ita ut, saltem ad tempus, omnis mercurii usus omitti debuerit.

Neque mihi omni probabilitate destitutum videtur, hac sola ratione infantes, qui bene hydrargyrum ferebant, plerumque citius sanatos fuisse adultis. Infantes enim, quod in hydro-

---

nitri usu in syphilide, qui commendat inter alia p. 22: »acidum nitrosum, quod compingit fluida, »roborat solida, restituit integritatem corporis, utique »conducit ad instaurandem sanitatem, quo tunc demum fit, ut mercurius optime ferri possit. In re»manentibus ulceribus saepe mercurius non amplius »prodest ob debilitatem, humorum pravitatem, tunc »acidum nitrosum multum praestabit."

cephalis, aliisque morbis affectis saepius vidi, nisi scorbutici, cachectici, aut simili vitio laborantes, eo melius hydrargyrum sine superveniente salivatione ferunt, quo juniores sint, ita ut non raro integrum calomelitis granum quotidie, et per sat longum temporis spatium, a patre sine ullo salivationis indicio, et magno saepe cum morborum levamine, exhibitum observaverim.

Non autem est, quod inde concludi velim, me versari in ea opinione, quod semper tantum mercurii in syphilide exhiberi debeat, quantum aegroti perferant, idque ad curam morbi adjuvandam.

Absit: saepius enim vidi, quod summus SYDENHAMUS jam monuit (35), hydrargyri intem-

---

(35) Oper. Med. Tom. I. p. 225 ex JULIA PALMARIA refert: »Alii decies, alii duodecies salivationem frustra »sunt experti, tanta interim cum doloris acerbitate, »malorumque miserrimorum acervo, ut forti viro multo »satius sit semel mori, quam vitam morte pejorem sic »proferre."

Porro legi quoque meretur auctor. l. l. p. 224 ubi egregie admodum retulit damna, quae hydrargyri minima saepe copia, in corpus intromissi sive ore, sive frictionibus per systema lymphaticum applicetur, efficit.

pestivo, et immoderato usu morbum ipsum vires sumere, et dirissima, gravissimaque produci symptomata. Sic ante aliquod tempus, ne plura memorem, mihi observare contigit in Germano quodam, qui, cum in sua patria dudum frustra opem quaesivisset, tandem a patre auxilium petiit.

In illo, suppressa gonorrhea, natis bubonibus, cancrisque venereis, demum affectae erant faces, palatum, cum stabile tum molle, uvula jam perdita, tonsilla, tubaque Eustachii sinistra, quo surdus erat, et continuo tinnitu aurium laborabat, cum simul facies, in latere eodem, rutilante et coccineo colore esset obducta, et oculus pertinaci inflammatione affectus, ossa porro spongiosa, septum narium, ut etiam tota ala nasi sinistra, atque labii superioris pars iis vicina, essent corrosa, caeterum corpus plenaria cachexia erat emaciatum, genitalia vero, quae primum morbi sedem constituerant, jam nulla labe erant inquinata.

Quoties, ut retulit, nondum sanato morbo, novum in Germania in auxilium vocavit medicum, identidem frictionibus, linimentis, usuque interno mercurii salivationem fuit perpessus, et sic e magna hydrargyri copia sumta, partim certe, sua mala contraxit; cum autem deter-

gentibus, tonicis, extractis vegetabilium, similibusque gargarismatibus, et fomentis, additis extracto opii aquoso, aliisque remediis, quae locum tenerent mercurialium, extrinsecus malum tentaretur, subito satis foeda haec vitia melioris facta indolis, disparuitque porro et foetor, et sordida ab ulcerationibus facies: praeter leniter confortantia, incitantia, opiata, et quoties requirebatur eccoproticum, nil nisi spiritus nitri acidi singulis diebus sumsit guttas LX, admixtas unciis XXIV, decocti saturati radicum bardanae aliorumque similium, et quidem eo cum fructu, ut, aliquando mutatis mutandis, ulcera faucium sanarentur, et cicatrice obducerentur, ossa spongiosa exfoliationem paterentur, tota membrana schneideriana cicatricibus obduceretur, magna pars labii, alae nasi, genaeque, licet non integra regio, quae amissa, ac corrosa fuerat, restitueretur, oculus inflammatione liberaretur, audiendi facultatem in affecto latere aeger recuperaret, cessante auris tinnitu, color faciei rutilans pedetentim dispareret, vires corporeae tantum increscerent, ut, quae initio vix itineri sufficiebant, jam ita recuperaverit, ut vegetus omnibus corporis excercitiis par sit, ut cum facilitate, oblectamentoque sua huc saepius repetierit itinera.

Plura de his in medium proferre non est animus, cum dicta sufficiant ad probandum, mercurii usum saepe posse nocere cum copia, tum inopia in curanda syphilide, quod posterius praecipue medici experiuntur incommodum, quoties ob has, illasve rationes aegroti mercurium minus ferant. Sed denique notandum est, in nonnullis feminis, diu post sanationem morbi primarii, certam remansisse faucium sensilitatem praeternaturalem, qua, tantummodo refrigerio expositae, leviori statim angina naturae erisipelatosae corriperentur, quo factum fuit; quod in quamplurimis lueticis observari solet; ut pristini mali memores recidivum metuerent: hoc autem non ita locum habuisse quotidie fere patet, cum illud symptoma, adhibito gargarismate adstringente, et medicamento eccoprotico, statim disparuerit, saepe vero post iterum susceptum refrigerium redeat.

§ VI.

Jam autem forsan aliquis a me requirat, ut quaedam saltem exponam hoc loco de hujus tam late grassantis morbi prophylaxi, sive remediis, quibus, si non praeveniri, tamen in

ipso ortu extingui possit tale contagium. Taceo jam ea, quae possem hanc in rem animadvertere (36); ac partim in Suecia politica medica locum habent (37), quae de Nutricibus si statuerentur, facile suctricibus applicari possent. Praeterea nonne simul oris suctricis ablutio magni momenti habenda esset? haec enim, ut vidimus, cautela ante suctionem instituta tantum valuit ad contagium avertendum, ut, licet nulla miasmatis fuerit suspicio, imo in omni conditione maxime com-

---

(36) Sic in Suecia tales infectiones cum successu praecavet politica constitutio. Vid. ROZEN à ROSENSTEIN *over de ziektens der kinderen* Tom. 2. p. 238: »*Het* »*zogenaamde Comptoir der minnen in Stokholm is* »*ene voortreflijke stichting indien slegts zy, die min-* »*nen nodig hebben, van het zelve wilden gebruik* »*maken;*" et in nota ad hanc paginam: »*dit Comp-* »*toir is van grote nuttigheid, alle vrouwen die zich* »*voor minnen willen verhuren, moeten zich aldaar* »*aangeven, en onderzogt worden, en daardoor is* »*de venusziekte in Stokholm zedert enigen tyd mer-* »*kelyk verminderd* die Berättelser inlaemnad Til. Kongl. Collegium Medicum / Hoerande Medcinal — Werkets Ffistaond Stokholm 1765.

(37) Simile quid circa nutrices in orphanotrophio Amstelodamensi publica auctoritate constitutum deprehendimus.

mendabilis haberi possit, debeatque, denique, quod prudentius, maxime commendandum foret, quod ubera sive a caniculis exugantur, sive antliis, sive vitris, huic fini idoneis, lacte depleantur.

His ergo si plura addere vellem, polliticae medicae late patentum campum ingredi deberem, quae diligenter exculta, hic certe, ut in aliis casibus, maximae esse poterit utilitatis; verum in qua multa offenderem monenda, proposito minus accommodata, et forsan in eo forem, ut facile per erroneas incederem vias: praeterea, ut arbitror, haec silentio praeterire possum, cum Academiae Ultrajectinae olim illud decus, et ornamentum, clarissimus M. VAN GEUNS, cum pluribus aliis, pro more suo, et exquisite, et eleganter de his scripserit (38), quibus denique accedit, quod hac in urbe et adsit Collegium Medicum, neque praeterea desiderentur viri in arte nostra praestantissimi, quibus demandatum

---

(38) In binis orationibus, praecipue ultima *de Civium valetudine, Rei Puqlicae Rectoribus commendandae,* habitis Annis MDCCLXXVIII et MDCCLXXXVIII, cum Harderovici Gelrorum Magistratu Academico prima, et altera vice abiret, munusque Archiatri Gelrici summa cum laude fungeretur.

est in morborum grassantium causas non modo inquirere, verum simul civium valetudini invigilare; quare haec omnia silentio praetermittam et huic observationi finem imponam, additis sequentibus conclusionibus.

Virus venereum, suctricis ore in mammas insertum, luem producere, cum ratione decursus, tum ratione symptomatum, signorumque diagnosticorum, ab ea, quae genitalia inficit, diversam, docuit morbus syphiliticus, qui in hac civitate anno CIↃIↃCCCIII plures feminas infestavit.

Etenim inter varia, in hoc morbo obvia, quam maxime est animadvertendum, vix unquam genitalia affici, nec feminarum, nec fere maritorum, licet cum uxoribus rem habeant.

Idem vitium, iisdem symptomatibus stipatum, papillarum affectarum frictione contractum videtur.

Solo vero concubitu, nullo habente locum attactu, miasma non propagari, apparuit.

Lactentes autem omnes a matre illud ore, labiisque, non vero lacte susceperunt.

Omnes, quocunque modo virus insertum fuerit, exanthemate pustuloso in corporis superficie laborarunt.

Infantes autem magis in extremitatibus inferioribus hoc exanthemate afficiebantur, quod irritationi urinae, in has partes stillantis, tribuendum videtur.

An eruptio diaphoreticis, aperientibusque remediis, quibus usae fuerunt matres, an copiae, vel, quam virus habet, acrimoniae tribui potuit?

Calori aestivo, ac peculiari atmosphaerae conditioni adscribendam, probabile videtur.

Sic forsan quoque memoratorum remediorum usui tribuatur, quod hae melius, aliae minus mercurium absque salivatione ferant.

In universum vero infantes hydrargyrum optime ferunt, unde illorum cura plerumque facilis.

Nec a consueta via deflectit hujus morbi curandi ratio, licet fuerint, qui diu, suscepto refrigerio, morbo symptomatico laborarint, non specifico, sed peculiaribus accommodatis remediis tollendo.

Ablutio oris suctricis per spiritum vini non post, ut plerumque fit, verum ante instituendam suctionem peracta, commendabile videtur prophylacticum, aut, quod melius videtur, ubera exugantur ope caniculorum sive instrumentorum ad hanc finem compositorum.

Utilissimum quoque foret, si lex, in Suecia lata, et in Orphanotrophio Amstelodamensi observata, qua omnibus interdicitur, ne nutricis partes agant, nisi publica auctoritate ad eas admittantur, ad suctrices extenderetur, illaeque statis temporibus examinarentur.

